DISPUTATIO è Phyſicis Philoſophica De

TEMPERAMENTO

ſeu Complexione mixti

quam divina annuente gratia & Conſenſu ampl. facultatis in alma Roſarum Academia facultatis Philoſophicæ

ſub præſidio

M. ANDREÆ HOJERI Usdomo-Pom.

publicè defendendam ſuſcipit

HENNINGUS FRICKE Hamburg. ad diem 26. Martij in Collegio Unicornis.

ROSTOCHII,

Typis Hæredum Richelianorum,

M. DC. XIIII.

Integerrimo atq́ʒ Circumſpecto Viro

DN. BRANDANO LENTEN,

Civi & negotiatori Inclytæ Reipubl. Lunæb. Primario, Domino & Avunculo ſuo obſervantèr colendo

γύμνασμα hoc φιλοσοφικὸν tanquam ſuorum debitorum officiorum pignus, eâ, quâ par eſt, reverentiâ dicat & offert.

HENNINGUS FRICKE HAMB.

ΠΡΟΣΦΩΝΗΣΙΣ

Ad doctiſsimum & præſtantiſsimum
Juuenem

DN. HENNINGUM FRICKIUM
de Temperamentis Diſputantem. &c.

SIc eſt, quod noſtris animis ſint inſita quædam
Semina, queîs varias naturâ amplectimur artes.
Jlle, ut pauperiem fugiat, ſulcando marinos
Fluctus, ad ſummos Garamantes currit & Indos,
Ardens venales, quas vult extrudere merces.
Prodigus hic vitæ major, conamine diro
Viſere ſtagnantes crudeli ſanguine oampos
Ducitur, atq; tubæ funeſto murmure gaudet..
Ille timens contrà, fugiensq; pericula vitæ,
Conceſsi nunquam fines excedit agelli.
Tutus amat tacitis deducere paſsibus æuum
Conſindens magnæ gremium genitricis aratro,
Pinguia Triptolemi ſupponens munera ſulcis.
Nos majora tenent, incauto incognita vulgo,
Nos FRICKI melior deduxit ad ardua virtus
Munera, dum ſequimur diuinæ Palladis artes,
Quas ſæui ambiguo mirantur numine Thraces,
Ac Nymphæ celeres ac Capripedes Satyriſci.
Dum nos luce noua, perluſtrans, Delius, orbem,
Atq; Soror Phœbi, pandens ſua Cornua noſtri
In ſtudijs totos cernunt, deditòsq; labori.
At tua nobilior virtus præcordia verſat,
TEq; animi eiximij TE præſtantiſsimus ardor

Æquales

Æquales longè ante alios UNUM *eximit:* UNI
Apponit roſeis tibi talia pocula labris
Qualia Ariſtoteli diuus porrexit Apollo.
Quis docet, ingenuas inter, quot tradidit artes,
Humanæ ſtudium naturæ, ut rectius ipſum
Sic genus humanum poſſit cognoſcere, quanta
Cura fuit Superûm, & naturæ induſtria quanta,
Quando hominem voluêre ſuis componere membris.
Hac nihil eximius, nihil eſt divinius arte,
Hæc naturalis ſapientia ducit ad aſtra,
Præſentisq́ refert miracula Numinis almi.
Magnus is ingenio, cui, tanta addiſcere, cura eſt,
Cui datur à primo & viridi divinitus ævo,
Noſſe ſui exſtructi miſteria corporis, & quid
Illud conſeruet, quid contrà deſtruat illud?
Is longævus erit, cum multos abripit urna,
Qui ſe non poſſunt variis exſoluere morbis.
O Felix FRICKI! *quanto* TU *carmine dignus!*
Gnavus Ariſtotelis ſectator es, illius illam
Cæleſtem magno doctrinam amplexus amore es,
Cuius jam fructum te percepiſſe videmus
Inſignem: hoc fruere & plures poſt edere perge
Perge ita tu, neu te venienti ſubtrahe famæ
Non TE *Parca feret totum, non totus ad umbras*
Vades, Crede, tui ſed pars longè optima viuet
Neſcia corrumpi: doctis dat viuere Muſa
Æternum & famæ immortalis dona rependit.
Sic TE *Muſa etiam ventura laude beabit*
FRICKI, Tuq́ tuos merita cum laude beabis.

deproperabat
JACOBUS STARCKIUS
LUNÆBURGENSIS.

DISPUTATIO PHILOSOPHICA DE TEMPERAMENTO.

Theſes.

1\. VOx antiqua Magni Medici eſt; Mores ſequi corporis Temperamentum. unde trahit ſua quemq; voluptas, naturâ habenas moderante.

2\. Jtaq; dignum eſt intelligere Temperamentum, ut πράξεις humanas εὐκρινῶς metiamur.

3\. Sed in hac materia incredibilis difficultas certat cum præſtantia, nec cedit utilitati.

4\. Nos tamen veſtigijs magnorum Philoſophorum inſiſtentes, difficultatem ſuperatum ibimus.

5\. A definitione omnis, quæ à ratione proficiſcitur, diſputationis fundamento exordimur.

6\. Eſt autem talis: Temperamentum eſt unio quatuor elementarium ſubſtantiarum, principumq; qualitatum, orta ex mixtione & refractione ſingularum. (Similem ferè definitionem habet Joannes Wernerus lib. 1. Therapeuticæ.)

7\. Dividitur in Geometricum & Arithmeticum.

8\. Geometricum, quod & inæquale artificibus dicitur, eſt, quod inæquali portione elementarium ſubſtantiarum & qualitatum conſtans revera in corporibus invenitur.

9\. Hujus octo ſunt differentiæ & genera: quatuor ſimplices; totidemq; combinatæ.

10. Simplex temperamentum conſtat prædominio unius ſimplicis qualitatis. vel enim aqua, vel terra, vel ignis, vel aër vincit & potentior eſt in mixto.

11. Compoſitum temperamentum eſt, quod copulatione duarum qualitatum potentiorum conflatum eſt. nempe aut calidum & humidum, aut calidum & ſiccum: aut frigidum & humidum, aut deniq; frigidum & ſiccum exuperat.

12. Plures ſpecies dari pernegamus: quidquid alij nugentur de temperatiſsimo temperamento.

13. Compoſitas ſpecies plures non admittit contrariorum ſe invicem demolientium indoles & natura: neq; enim in ἄκρῳ calidum & frigidum fœdus paciſci norunt, ſicut nec humidum & ſiccum unum queunt trahere jugum in excellenti ſupremoq; gradu propter internecinam inimicitiam.

14. A Geometrico temperamento oriuntur appellationes temperamenti bilioſi, ſanguinei, pituitoſi ſeu phlegmatici, & deniq; melancholici. quas appellationes contra morſus nonnullorum defendemus, ut bonas καὶ ἐμφατικωτέρας

15. Singulorum autem judicium in ſingulis corporibus ferri poteſt: ſi ſpecies ad ſpeciem diverſam compares: aut in eadem ſpecie ætatem ad ætatem, aut individua ad individua conferas.

16. Tantum de Geometrico: Arithmeticum ſeu æquale eſt, quod æqualibus ponderibus ſubſtantiarum qualitatumq; elementarium conflatum eſt: ita ut æquilibrium ſit, nec ulla ullam ſuperet.

(Fernelius hoc in mundo dari & ſubſiſtere diſputat: Magirus negat, cui nos aſtipulamur, donec monſtretur homo, qui à natura exacta æqualitate

ſingulatum

ſingularum naturarum eſt ornatus. Ut tamen definiatur, ſicq; menſura Geometrici, non modò concedimus, ſed etiam urgebimus.)

17. Prolixiorem conſiderationem relinquimus Medicis. nos breviores ſumus, ut ad problemata hinc inde mota à bonis Philoſophis celerius accedamus. Proteſtamur autem, quod non arrogantiæ aut oſtentationis, ſed liberalis exercitij gratia in tam profundo, à vulgo remoto & recondito argumento inſtituerimus paucula eventilationibus modeſtis exponere. Non dubitantes de cujusquam in nos benevolentiâ faciliori, ad problemata pleno curſu tendimus.

Problema Primum.

Temperamentum quid nominis?

TEmperamenti originatio aliunde orta eſt, à radice ἀρχηγῷ Latinâ tempero, quod eſt rem μετρίως καὶ εὐσχημόνως gero. Quamvis variorũ errorũ ſit vox obnoxia. Modò enim adorno atq; concinno, modò miſceo diverſas medicas ſpecies ſimplices atq; ingredientes: modò minuo ſignificat: Ariſtoteles 1. Top. cap. 15. §. 10. regulam poſuit memorabilem per exempla. Si primitiva vox eſt ambigua, etiam derivata erit ambigua. Si τὸ juſtè πλεοναχῶς λέγεται, etiam τὸ δίκαιον πλεοναχῶς ῥηθήσεται. Ergò ſi tempero multifariam appellatur, etiam παρώνυμον ἔσαι ἐκ τῶν πολλαχῶς λεγομένων. En ſylvam ſignificatuum variorum. 1. politica eſt ſignificatio, quâ notatur æqua comparatio ſic dicente Tullio, temperamentum inventum dicas quo ſe minores cum principibus æquari putarint 2. Ethica eſt, raramq; illam virtutem deſignat, per quam Dijs ſimiles nominabantur gentiles.

Taciturnitatem dico aliarũ virtutum nutricem atq; cuſtodem. Hujus ſignificatus veſtigium in illo eſt Liviano: Si nullâ aliâ re, modeſtiâ ſane & temperamento linguæ adoleſcens ſenem vicero. Parcum enim verborum Syracides cap. 7. apud ſenes te eſſe juvenem jubet ex præſcripto Taciturnitatis laudabilis, non Ægyptij Sigaleonis. 3. Phyſico medica eſt, pro congruâ humidi & ſicci certâ proportione calidj & frigidi diſpoſitione. Vltimam ſignificationem noſtram hoc loco eſse volumus, reliquis relictis noſtræ diſputationi inutilibus. Alio nomine complexio Medicis potiſsimum nominatur. Dicitur autem græcis ἡ κρᾶσις, quæ vox eſt à κεράννυμι, miſceo, eò quòd elementa inter ſe miſceantur, apteq; & concinnè ad harmoniam componantur. Jmus ad genus.

Genus Temperamentj.

ἑνὸς ἀτόπου δοθέντος, καὶ τ'ἄλλα συμβαίνει: Admiſso uno errore, ſexcentj alij facilè ſequuntur. Huius axiomatis veritas longè lateq; ſe didit, proditq; in omnibus omnium diſciplinarum artibus. inprimis tamen ἀληθεύεται in problematis ex Genere de promtis. Genus enim in intimam naturam rei tuæ te ducit, quam obtinet; cum ſpecies aliud ſit nihil, quam Genus licet πῶς καὶ πῇ. Itaq; hic errores admitti videas vel ob incredibilem difficultatem, vel ob Philoſophantium volaticam inconſtantiam, qui ajunt, negant. Quo facto, Labyrinthus in confinio eſt innumerabilium & monſtroſorum errorum. Quid de noſtri Thematis genere? hoc verò paſsum eſt fatum illacrymabile: Errores numera, & pluſculum dices. Contemplabimur Philoſophos, contemplabimur Medicos. Ex illorum numero eſt Keckermannus & Magirus, qui Fernelium alienæ ſententiæ à Fernelio etiam refutatæ intem-

intemperantèr & ineptè accuſant. Keck. diſpoſitionem atq; unionem ſtatuit generis loco. Fernelio concentus & harmonia eſt Genus. Avicennæ verò & Bernbardo Gordonio Qualitatum è claſse decernitur. Alij miſtionem loco generis obtrudunt. Nos Fernelium atq; Keckermannum ὁμοψήφως ſequemur mox refutatum ituri adverſariorum opiniones. θέσεως rationes afferimus ſequentes. 1. Temperamentum quantum quantum eſt, σχέσιν ἤ τι πρός τι σημαίνει. neq; enim unius elementi hujusq; qualitatis præſentia ſufficit, ſed connexio coalitusq; omnium quatuor elementorum requiritur. Fernel. lib. 3 c. 1. σχέσις ergò mutua elementi ad elementum, enodat notatq; genus temperamenti. 2. Illud accidens relatio eſt, cui ſuſtentando non ſufficit unum ὑποκείμενον, verum plures ſubſtantiæ. ut paternitati filiationiq; ſic loquor, non ſufficit una ſubſtantia, ſed ab hâc proficiſcitur deſitura in aliam: Temperamenti ratio formalis atq; natura ſubſtantias non tantum duas, nedum inſuper quatuor poſtulat, ex quarum concurſu ſubactis etiam qualitatibus progignitur. 3. Temperamentum aut eſt Relatio ſeu Unio, aut reducitur ad aliud Prædicamentum. Non autem reduci poteſt ad aliam κατηγορίαν. liquet veritas de omnibus prædicamentis: de ſolâ Qualitatum claſse inijcitur ſcrupulus, quem in λύσει Avicennæ eximemus penitus. Nunc ex Keckermanno repetere ſatis eſt, eſse diſpoſitionem atq; temperiem qualitatum diſtinguendam ab ipſis qualitatibus: ſicut proportio numerorum rectè diſtinguitur ab ipſis numeris. Rationes noſtræ ſententiæ dedimus: reſtat ut ἐλέγχους accedamus adverſariorum. Horum Duplex genus. alij enim quintam qualitatem ex perfuſione quatuor primarum qualitatum ortam commenti ſunt; ut Avicenna &

complices: alij Miſtionem arripuerunt, quos inter eſt Magirus. Avicennæ *κύβεια* maſculè correxit, quem ſæpius nominavi, CL. Fernelius argumentis *ἀντιθετικοῖς*. ea, qui volet, legat. apud eum d. l. & c. p. 117. Nos Magiro hoc loco controveniemus. 1. Miſtio non eſt; Nulla cauſa fit genus ſui effectus. Genus enim ſpecies eſt. Cauſa autem effectus ipſe non eſt. Atqui verò miſtio eſt cauſa temperamenti. Ipſe Magirus in Commentarijs Minorem inſinuat partim multis verbis, partim exēplo tetrapharmaci. Reſinæ, picis, ceræ & olej permixtio cauſa nō gēus eſt tetrapharmici. Ita nec coitus elemētorū, primarumq; qualitatum *συμφωνία σύγκρασις καὶ σύγκρισις* nō genus, ſed *συναίτιον* neceſſarium. Applaudit nobis Fernelius, cujus ſimile eſt egregium. Vt in Cantu, inquit, & fidibus ſoni longis locorum intervallis diſtracti, aut conjuncti quidem, ſed diſpares & non pro ratâ portione diſtincti, concentum haudquaquam efficiunt, niſi primi cum ultimis temperati, & medij utriſq; reſpondentes æquabiliter dulci ſono aures compleant: ita neq; divulſorum elementorum qualitates, neq; coëuntes illæ quidem temperamentum efficient, niſi moderatâ & concordi quadam mediocritate ſeſe mutuò complectantur. Miſtorum ergo comparatio, non miſtio erit genus. Sed fortaſsis Magirus excuſari poterit ex præceptis, in quibus ſententiam Fernelij non improbat. Interim certum eſt, Magiri ſententiam concidere, Fernelius ſi placet. Quis enim eò incogitantiæ graſsetur, ut miſtionem & *συζυγίαν* elementorum clamitet non diſtare à miſtionis vel potius à miſtorum amicâ conſociatione & diſcordi concordiâ. Numquid etiam diſtant æra lupinis?

Cauſa

Cauſa efficiens Temperamenti quæ?

Vtros ſequar? Philoſophos an Medicos? an utrosq́;? ambiguum eſt. Spinis non carent ſive iſti ſive illi. Interdum quoq́; errores errant non tolerabiles. Quæ res duæ nos deterrere poſsent, niſi ſuccenturiatum auxilium ſanior promitteret Philoſophia. Non autem remotam veſtigamus. Cauſam ἄιτιον κατὰ δύναμιν, ſed ἄιτιον πρῶτον κ̀ συνεκτικὸν. Talem cauſam ponimus σύμμιξιν κ̀ σύγχυσιν miſtionem perfuſionemq́; & coagulum multorum. Poſita enim miſtione fractisq́; & ſubactis elementorum ſubſtantiis, nihil prius temperamento procreatur. Confer Fernelium, Magirum, Gordonium, Zabarellam, Keckermannum, Velcurionem: quos à nobis eſse videmus. Id majoris difficultatis æſtimo, quod contravertitur copioſe à multis partim veteribus, partim recentibus, nempe: Utrum ſubſtantiæ elementorum, an vero qualitates ſolæ miſtæ temperamenti ingrediantur eſſentiam? Gordonius videtur repudiare ſubſtantias ipſas, cum inquit: Ex nimia actione calidi cum frigido reſultat quædam qualitas, & ex actione ſicci cum humido reſultat alia proportionalis. Qualitas igitur quæ reſultat ex proportione activarum & paſsivarum, nominatur complexio. Joannes autem Magirus libr. 3. phyſ. comm cap. 11. erudítiſsime decidit quæſtionem, licet paucifsimis. Non, inquit, ex ſolis elementorum qualitatibus temperies naſci poteſt, ſed potius ex ipſis ſubſtantijs, refractis tamen probeq́; ſubactis. Nam qualitates ſeorſim abſq́; ſubſtantiâ ſubſiſtere nullo modo poſſunt, & propterea neq́; miſceri neq́; aliquod temperamentum conſtituere. Hanc rationem ex mediâ Philoſophiæ ſcholâ ſumtam nemo, niſi mentis captus, aut Taurellus aliquis negaret.

Num-

Numquid Logica diviſio ſit temperamenti in Geometricum & Arithmeticum?

Trita valdè hæc diviſio æquè philoſophicis ac medicis, etiam ijs, qui familiam ducunt, quiq; utramq; paginam in Logices ſtudio lectitaſſe deprædicantur. Vnguem morde, quid deſit, videbis. 1. Vera diviſio inſtituitur in eá, quæ toti inſunt, membra. 2. Logica diviſio rei poſitivæ in membra fit poſitiva & realia. Membra enim unitim collectimq; ſumta nil niſi ipſum ſunt totum. Si ergo μόριον aliud ὄντως eſſet, aliud vero στερητικῶς imo κατ᾽ ἄρνησιν, idem totum partim eſſet, partim non eſſet: atq; ita quod eſſet, non eſſet. Et hoc eſt illud πολυθρύλλητον: partes debent eſſe ſumtæ ex uno & eodem rerum genere; ſive membra dividentia conſentiant cum toto. Si ergo partes implicant contradictionem, quæ erit conſenſio earum cum toto? nonnè hæc eſt contradictio: totum eſt, totum non eſt? Subſumo Minorem. 1. Geometricum & Arithmeticum temperamentum toti (temperamento ἁπλῶς dicto) non inſunt. 2. non ſunt membra poſitiva. Poſterius probo auctoritate Magiri, qui temperamentum arithmeticum facilius cogitari quam reperiri pronunciat, additq; rationes duas quas videas apud ipſum. Poſteriore prius aſſumtum probo: ſi arithmeticum non eſt neq; I N E S S E poteſt. Ad taliter enim eſſe, inquiunt Scolaſtici, requiritur prius E S S E ſimpliciter. Hæc πειραστικῶς diſſerui: abſit contumelioſè cenſeam omnes. Dicam quid ſentiam: ut ne cùm Fernelio hic fecíſſe videar. Concedenda eſt hæc diviſio artificibus cum propter multitudinem doctiſſimorum auctorum tum propter cauſam, quæ non eſt e-

lumbis

lumbis aut commentitia. Philoſophi ἀκριβέϛατα rem definiunt in intima eſſentia & natura ſua conſideratam; nihil de exquiſitâ accuratione remiſſum volunt. Quam fniendi rationem ſi illatinis quandoq; appoſitis tamẽ terminis peculiariter inſigniunt. Inquiunt enim: definitur res in ideâ, vel in quidditate ſuâ vel in definitione ſuâ, vel in ratione formali, vel in ſummo virtutis, vel in abſtracto, vel ἁπλῶς & univerſaliter. Seq; defendunt diſtinctione Naturæ, quæ eſt vel intendens vel operans. Etſi enim operans generansq; Natura ſummum virtutis non aſſequatur propter obſtacula: aſſequitur tamen Natura intendens illud ſummum. Et ita definitio in quidditate non eſt fictitia aut fabuloſa. Idem de arithmetico ſeu ad pondus temperamento dicam. Natura intendens ſemper cogitat temperamentum exquiſitum, in quo elementa æqualia æqualibus ponderibus pariliq; mole ac magnitudine in unum coeant. Impeditur autem generans ἐμποδίοις varijs, ut ſcopo erret, qui erat σκοπημάτων. Generans autem natura propter materiæ inconſtantem variationem, à philoſophis non attenditur, attenditur autem ἐν τῷ αἰεὶ εἶναι intendens. Hinc ergò rectè philoſophi pariter & Medici diſpeſcunt temperamentum in æquale partim, partim in inæquale. De inæquali ſeu Geometrico conſiderato vel in hoc vel in illo corpore mixto nihil diſcepto, quod diverſum in diverſis corporibus reperiri αὐθψία ἀποδέχνυμι pro incolumitate & ſalute cujusvis corporis. Unde ſancto titulo decoratur: Temperamentum ad juſtitiam.

An ὄντως dentur novem temperamentorum differentiæ?

Diſcernuntur temperamenta in ſimplicia & compo-

ſita Græci vocant, συνδεδυασμένα combinata, eò, quod ex binarum & binarum qualitatum coitione oriantur. Quatuor autem ſunt ea ex quibus temperamentum conſit, nempe, humidum, ſiccum, calidum, frigidum. Hæ enim ſunt principes ſeu primæ qualitates. Singulorum ergò exſuperatione & prædominio ſingula naſcuntur temperamenta ſimplicia: ita aliud eſt calidum, aliud frigidum, humidum aliud, aliud ſiccum. Ex his quatuor, totidem reſultant συνδεδυασμένα nempe temperatura calida & humida, vel calida & ſicca; vel frigida & humida, vel frigida & ſicca. Alias conjugationes ignorat natura; Si enim calidum cum frigido coëat, aut diſpari gradu diſtant, aut paribus portionibus extremarum virtutum conflarentur. Hoc ἄδηλον. τὰ γὰρ ἐναντία, ἀλλήλων φθαρτικά. Ergo diſpari diſtant gradu. Ergo ſimplex iterum oritur temperatura. Sed quid in re apertâ moror? illud obſcurius eſt, quod urget Fernelius de exquiſitiſsimâ & temperatiſsimâ temperatura, qua nonam differentiam inaugurari ſatagit. Nos κατά τι Fernelium ſalvamus, κατά τι derelinquimus, id eſt naturæ intenſione temperatiſsimum ſeu æquale ad pondus eſt temperamentum; naturæ vero exſecutione & generatione in Vtopiâ producitur, ubi homines ſe vivere neſciunt ob ſubtilitatem & πλήθωρα omnium humorum temperamentorum naturam ſequentium.

Num rectè dicatur homo alius eſſe melancholico, alius ſanguineo &c. temperamento prædítus?

Vtraq; pars, ajensq; & negans ſuos invenit defenſores. Negantis partis fautor eſt magnus ille Johannes Fernelius lib.3.c.ult. Ajentis partis tutores pleriq;, quorũ duos honoris cauſa nomino, Keckermannum & Gordonium, hunc

hunc Medicum, illum Philoſophum nulli ſecundum. Nos Gordonio adhæremus, Fernelio ſibi relicto. Diſtinctionem autem adhibemus temperamenti in geometricum & arithmeticum: illud longè lateq; fuſum in ſingulis corporibus diverſum reperitur, hoc vero eſt individuum, & omnis expers latitudinis quaſi punctum intelligitur: de quo diſputavimus antè. A Geometrico temperamento appellationes temperamenti pituitoſi, ſanguinei &c. ortum habent. Arithmeticum in æquilibrio omnium qualitatum dudum evanuit. Sed rationem addemus laudabilem. Illud eſt diciturq; verè temperamentum, quod exuperantia unius qualitatis in coitione aliarum primarũ conſtat. At temperamentum bilioſum &c. conſtat prædominio unius principis qualitatis. Nam in Melancholico terra excellit: in ſanguineo eſt aliqualiter æqualitas omnium naturarum: in cholerico ſeu bilioſo vincit ignis: in pituitoſo ſeu phlegmatico aqua tenet primas. Vnde concluſio ſuâ ſponte fluit ajens & affirmata. Neq; vero offendatur aliquis diverſitate appellationum. Perinde enim eſt ſi dicam temperamentum melancholicum, atq; temperamentum terreum: Idem de reliquis eſto judicium. Quin & actiones & paſsiones mixti, temperamento, a quo dependent, debentur. Terreæ naturæ dominium παθήματα ſequuntur, terræ convenientia, aëriæ, aëria reſpondent &c. ut mirum non ſit hominem huius vel illius elementi παθήμασιν ἑπομένοις obnoxium, dici vel melancholicum, vel cholericum. Sæpiſsimè enim cauſa μετονομάζεται voce effecti: ut ab igne cholera accenditur: â terra gignitur μέλαινα χολή. Sed ad Fernelij argumenta reſpondeamus. Argumentum primum. Alium bilioſo, pituitoſo, aut melancholico alium temperamento eſse præditum, non temperamentorum, ſed humorũ ſunt nomina. R. 1. τὴν ἀρχὴν λαμβάνει παραλογισμός. Id quæritur, quod à

Ferne-

Fernelio negatur: nempe nomina cholerici, pituitoſi &c. non eſse Temperamentorum. 2. Sunto nomina humorũ κυρίως, donemus Fernelio fiduciariâ conceſsione. Largiatur autem viciſsim, humores ſequi naturam in temperamento prædominantis elementi, qualitatisq; principis, unde indole naturaq; humoris arguitur determinatũ certumq; temperamentum cuius vincens qualitas ſit cauſa humoris. Secundum argumentum. Si temperamenta vel pituitoſa vel melancholica &c. dici poſsunt, utiq; ſemper temperamentum frigidum & ſiccum eſset melancholicũ. Sed poſterius ψεύδεται. Ergo & prius antecedens. ℞. Negatur à Fernelio conſequens, non probatur, dicit non monſtrat. lego ego & non credo. Tertium argumentum. Si omnes ſenes frigido ſiccoq; laceſsuntur, omnes erunt melancholici temperamenti ex noſtrâ ſententiâ. Sed conſequens non conſtat. Ergo ruit antecedens. ℞. eſt αἴτημα παρὰ τὸ ἑπόμενον, Conſequentiæ fallacia ab ipſo authore conficta, â noſtris nunquam poſita aut conceſsa. Ponimus frigidi ſicciq;, quo ſenum ætas vexatur, aliam cauſam ex eodem Fernelio c. 10. lib. 3. de Temp. cuius videri poſsit oblitus. Annorum enim decurſione, ætatumq; prolapſione nutu ſuo proprioq; motu temperamentũ naturæ pacto ſic ducitur, ut ſingulis ætatum intervallis vertatur atq; mutetur. Cuius rei cauſæ αἱ ἔξω circumſtantesq; multæ etiam dari poſsunt. 2. calorem nativum in ſenibus diuturnæ excercitationes enervant atq; ſenſim extinguunt, humorem vero vel ſeriæ cogitationes, vel vehementes actiones depaſcunt & exhauriunt, ut citius è pumice guttam, quam è capulari ſilicernio humorem exprimas. Habet argumenta alia Fernelius, quæ præterimus ob imbecillitatem eorum, & ſimilitudinem priorum.

Nihil enim aut robore pollens, aut refutatione dignum in illis invenimus. Sufficiunt ergo

τὰ εἰρημένα.